



DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

14 481.

1640/4.

DE

BONIS PARAPHERNALIBUS:

QUAM

DEO OPTIMO MAXIMO PRÆSIDE

Ex Decreto & Autoritate

MAGNIFICI, ET AMPLIS-

SIMI IURIS COLLEGI IN CE-
LEBERRIMA ARGENTORATENSIVM
ACADEMIA,

*Pro summis in utroque Jure ritè ac legitime
consequendis honoribus, privilegiis &
immunitatibus Docto-
ralibus*

Publicæ & solenni censuræ submittit

JOH. HIPPOLYTUS EISENMENGER
HEIDELBERGENSIS.

Ad diem 21. Maij horis locq. solitis.



ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPPIL

ANNO M. DC. XL.

DISSERTATIO THEOLOGICA
IN THEOLOGIA

BONNENSIS PARVA
PETER WALTERUS

THEOLOGIAE ET AMPLIS

THEOLOGIAE ET AMPLIS

THE JOHANNES WALTERUS

ANNO 1772





Um jure nostro duplicia in primis mulieris bona sint, dotalia nempe & paraphernalia seu ea quæ extra dotem sunt, neque minus crebris aditionibus iudices de paraphernis quam de dotibus mulierum deperditis inquietentur: ut loquitur Just. in l. *assiduis* 12. C.

qui pot. in pign. nos pauca in præsentiarum, pro ingenii nostri modulo de paraphernis acturi, dicturiq; sumus initio quid ad eorum constitutionem requiratur, deinde quid juris in iisdem maritus, & contra uxor pro conservatione ac repetitione eorundem sibi vindicare queat. Te igitur magne Deus supplices veneramur mentem manumque dirigas, ut vera & salutaria inveniamus ac promamus.

1. Et quia verborum prior, rerum potior ratio habenda est, enodanda venit 1. Origo vocis ejusdemque homonymia 2. significatio nominis & rei descriptio.

2. Dicuntur ergo τὰ παρὰφερνα l. 9. §. ult. ff. de jure dot. à præpositione παρὰ & φερνὴ, quod est dos, quasi bona data præter dotem, quæ eadem deductione etiam ἐξ ἑαυτῶν dicuntur teste Hotom. de vet. rit. nupt. c. 8. Hæc Wehnerus in verbo *Handgüter* vocat præter dotalia ex Cicerone, qui in *Philipp* 2. quasi præter dotem, inquit, accepisti. Idem Hotom. de loco. ait hæc latine receptitia vocari: cui consentit modo citatus Wehnerus, qui receptitia eadem cum paraphernis esse, verbotenusque tantum differre, alterum Græcum, alterum Latinum esse tradit.

3. Et sane hanc appellationem antiquis Romanis in usu fuisse, vel ex Agellio lib 17 c. 6. liquet, ubi ita scribit. *Quando mulier dotem marito dabat, tum quæ ex suis bonis retinebat, neque*

ad virum trans mittebat, ea recipere dicebatur. Hinc Cato, *Mulier*, inquit, *magnam dotem dat, & magnam pecuniam recipit.*

4. Ab hac tamen appellatione Doctores communiter secesserunt in *l. maritus 21. C. de Procurator.* qui uxoris bona triplicia faciunt. 1. Dotalia *Heurathsgut vnd Ehegelt.* Item, *Ehestewer* / quorum possessio & dominium transeat ad maritum. 2. Paraphernalia *ihr vorbehaltten gut / ihr neben gut / ains handgut / ihr eigengut* / quorum possessio tantum. 3. Receptitia, *ihr außgesetz gut* / quorum neutrum ad maritum pertineat. Quæ distinctio, licet asserente Wehnero in verbo *Einhandgüter* ex errore Dd. propter difficultatem *d. l. 21. C. de procurator cum l. ult. C. de pact. convent. tam sup. dot. quam donat.* originem suam traxerit, tamen eã in Camera receptam esse fatetur *Gail. 1. observ. 133. Myns. 3. obs. 53.*

5. Originem vocis recte excipit. ejusdem ambiguitas. Notandum itaq; quod aliquando parapherna dicantur mulieris bona genericè, nimirum omnia ea, quæ in dotem tradita non sunt, quæ Galli olim peculium appellabant. *d. l. 9. §. ult. ff. de jure dot.* Aliquando specificè sumpta receptitiis opponuntur. Et dicuntur ea mulieris bona, quæ mulier præter dotem attulit, ejusque administrationi commisit.

6. Receptitia autem sunt ejusmodi bona, quæ mulier ipsa possidet, à rationibus & rebus mariti separata: sive in quibus maritus nullum nec quidem administrandi jus habet. *Bachov. 2. vol. disp. 7. th. 9. lit. F. Wesenbec. in parat. de jure dot. n. ult.*

7. In specie sumpta paraphernalia describuntur à Doctoribus quod sint illa bona, quæ uxor ultra dotem in domum mariti defert, quorum dominium verè remanet apud ipsam mulierem, administratio vero est apud maritum *d. l. si ego 9. §. ult. ff. de jure dot. l. ult. C. de pact. convent. Menoch. 3. pras. 9. n. 1.*

8. Causa impulsiva cur mulier à dote quædam recipiat sibiq;

sibi que reservet, est mariti egestas, aut mulieris abundantia. Cum enim maritus tenuior est, quam ut pro omnibus mulieris bonis dotalitium ei constituere aut velit, aut possit: Mulieres quaedam tantum bona in dotem conferunt: quaedam vero seorsim habent. Et vel usumfructum, vel administrationem retento sibi dominio, marito permittunt, vel nihil horum *Wesenb. d. loc.*

9. Causa efficiens separationis istius & distinctionis bonorum remota est jus; Propinqua est mulier, vel quicumque ejus nomine viro dotem constituit; & res aliquas vel expresse vel tacite excipit. Liberum namque jure nostro est mulieri, parapherna in domum mariti inferre, vel non, etsi intulerit, liberum quoque est, eadem vel marito dare, vel ejus tantum custodia committere, vel etiam sibi retinere dominium, custodiam & possessionem *d. l. 9. §. ult. ff. de jure dot. l. 29. C. eod. l. fin. C. de pact. convent. muliere namq; invitâ nullam communionem in paraphernis maritus habet. l. 8. C. d. l. ult. C. de pact. convent.*

10. Hæc quæ de causa efficiente proxima dicta sunt jure nostro obtinent. Plerorumque enim locorum moribus receptum, vel statuto cautum est, ut simul atque conjuges corpore conveniant, ut loquitur *Zeno Imp. in l. pen. C. de incest. nupt.* vel thorum nuptialem ingressi sunt, *wann sie das Brautbett beschritten / oder die decke mit einander beschlagen haben* / ut bona omnia inter conjuges sic communicentur, ut non tantum stante matrimonio eorum pariter domini sint, sed ut altero defuncto, alter qui superstes est, vel quadrantem vel semissem bonorum omnium sibi retineat.

11. Et quidem in nonnullis locis, pars quam vel consuetudo vel statutum superstiti conjugi assignat, tam quoad proprietatem quam quoad usumfructum debetur *c. 2. ext. de donat.*



donat. int. vir. & uxor. In quibusdam locis solus ususfructus relinquitur, sed & in aliquibus maritus pinguius jus habet quam uxor: In aliis locis par utriusque causa est. Denique communio ea, aliquando ad omnia & quævis bona constante matrimonio ab utroque conjugē, cujuscunque contractus titulo acquisita restringitur. *d. c. 2. extr. de donat. int. vir. & ibi Cuiac. & consult. 7.* Aliquando ad omnia & quævis bona, tam industrialia, quam hereditaria, tam ante matrimonium quam in eodem pariter extendit *c. Raynuius ext. de testam. Ernest. Cochman. resp. 79. n. 25. & 39.*

12. Hujus posterioris generis teste *Cochman dicto loco* sunt statuta Lubecensia, quæ conjugēs omnium bonorum sine differentia socios constituunt.

13. De jure Castellæ & de consuetudine Lusitaniæ administratio omnium bonorum etiam paraphernalium uxoris, atque operâ & industria uxoris stante matrimonio acquisita pertinet ad solum maritum, nullamque omnino habet uxor administrationem bonorum, nisi forte dum contraxerunt matrimonium, aliqua sibi excepit ad usus suos & liberam administrationem *Molina de just. & jure tom. 2. disp. 274 lit. D.*

14. De jure Saxonico testatur *Carpzov. in jurispr. forens. part. 3. constit. 25. def. 6. n. 5.* quod uxor & maritus omnia bona promiscue & æqualiter possideant, habeatque maritus usumfructum omnium bonorū uxoris suæ, tam paraphernalium quam dotalium, absq; ullâ differentiâ & distinctione, ad vitæ suæ tempus, quod confirmat *Thoming. decis. 30. n. 9.* Dum ait jure Saxonico, quo maritus mulierem cum omnibus bonis accipit in tutelam suam, absque ulla distinctione, ignorari bonorum paraphernalium & dotalium discrimen, atque hanc communem *Dd.* sententiam esse, quod illo jure etiam invitâ uxore maritus fructus lucretur, tradit *Berlich. 2. concl. 11. n. 60.* à quibus tamen ipse dissentit.

15. Jure

15. Jure Palatino municipali post nuptias statim communitio bonorum inducta videtur, nisi pactis dotalibus aliter cautum sit, maritusque paraphernalium administrationem & usum fructum habet. Quid juris maritus in defunctæ uxoris paraphernis habeat, nullis neque ex primo, neque ex secundo matrimonio liberis existentibus: item quid in casu extantium liberorum in iisdem bonis, & vicissim uxor superstes in præmortui mariti bonis sibi vindicare queat, vide *Churpfälzisch Landrecht, part. 4. von Erbschafften ohne Testament, tit. 12. & 13.*

16. Materia possunt esse omnia bona præter dotem, quæ tempore celebrati matrimonii ad uxorem pertinebant, aut temporis progressu illi obveniunt *Molina de just. & jur. tom. 2. disp. 430.* Nam illata bona comprehendunt, etiam ea bona, quæ per viam successionis ad uxorem devoluta sunt, *Eingebracht Gut ergriffte auch ererbt Gut, tom. 2. varior. consil. 52. n. 40. Consil. Argent. tom. 1. cons. 90.* sive mobilia ea sint, sive immobilia, sive nomina debitorum. *l. Tuberonis 7. §. 3. ff. de pecul.*

17. Huc refert *Molina allegato loco n. 3.* quicquid uxor acquirit per sponsalitiæ largitatem sibi à viro factam. Atque ea quæ post contractum matrimonium uxori à viro data sunt, in eventibus quibus valet, aut confirmatur donatio inter virum & uxorem.

18. Excipiuntur tamen expensæ, quæ ex consuetudine regionis, tempore nuptiarum dari consueverunt à patre mulieribus, quas nec dotis, nec paraphernalium nomine contineri docet *Berlich. 1. concl. 65. n. 87.*

19. Sic quæ tempore nuptiarum aut sponsalium, donantur utrique conjugum simul, ab amicis & extraneis, efficiuntur bona communia conjugum, perindeque inter utrumque dividenda, ac bona superlucrata *Molina de justit. & jure tom. 2. disp. 430. n. 4.*

20. Ori-



20. Ornamenta quoque muliebria, quæ Doctores jo-
calia vocant, & alia bona sponsalitia, quæ à focero nurui tra-
dita sunt, paraphernalia censerit *Jason. vol. 2. cons. 197.*
per l. id vestimentum. 25. ff. de pecul. l. sed si vir. 31. ff. de donat. int.
vir. & uxor. quod tamen plurimum locorum statutis & con-
suetudinibus nequaquam obtinet, de quo etiam videndus
est *Gail. 2. obs. 91.*

21. Ratione formæ paraphernalium dicendum est, ea
constitui vel expressè vel tacitè.

22. Expressè præter dotem res quædam vel dantur ma-
rito, ut ejus fiant durante matrimonio *d. l. 9. §. ultim. ff. de jure*
dot. vel ut ejus non fiant, sed ut uxoris maneat: ubi iterum
maritus vel custodiam earum repromittit: vel omnino eas
mulieri relinquit: Solet enim mulier res quas in usu habet
in domo mariti, neque in dotem dat, vel in libellum con-
ferre, cumque libellum marito offerre, ut is subscribat, quasi
res acceperit, & velut chirographum ejus retinet: vel dotali
instrumento res paraphernales consignare. *d. l. 9. §. ult. ff. de*
jure dot. l. ult. C. de pact. convent. tam sup. dot.

23. Quæ scriptura mariti plene probat res esse para-
phernales *d. l. si ego §. ult. Jason in l. admonendi. 31. ff. de jure*
jur. Berlich. 1. concl. 36. n. 26. Et omnes res quas mulier secum
ultra dotem attulit præsumuntur paraphernales; nisi mari-
tus probet, quod ipse eas uxori commodaverit. *Jason in l.*
maritus. 21. C. de procurator. Bald in c. juravit. 6. num. ult. extr. de
probat.

24. Tacitè constituuntur paraphernalia puta scientia
& patientia uxoris. Hinc si maritus sciente & patiente uxo-
re, bona præter dotem allata permultos annos administra-
verit, facit ut ea censeantur paraphernalia *sæpe alleg. l. 9. §. ult.*
cum illa patientia habeatur pro traditione. *arg. l. qui patitur.*
18 ff. mandat. l. 46. ff. de jure dot. Jason in l. maritus. 21. C. de pro-
curator. Raphael Cumanus late cons. 203. & 4. seqq.

25. Ex his in proclivi est, quid de illa quæstione sentien-
dum sit, quæ inter Dd. agitari solet, si scilicet mulier ante, vel
post matrimonium dote jam constitutâ bona sua marito
simpliciter & sic nulla expressâ causâ tradidit, an illa dotis,
an paraphernalium loco data indubio præsumi debeant?
Posterius ex modo laudata. *l. 9. §. ult. ff. de jure dot. l. ultim. C. de
pact. convent. affirmat Menoch. & allegati ibid. lib. 3. præsum. 8. n.
18.* quorum sententiæ & nos subscribimus.

26. Quam tamen sententiam non procedere prædictus
Menoch. ait, ubi ex signis, vel verbis mulieris aliquibus colligi
potest, eam etiam hæc bona dotis esse voluisse *per d. l. 9. §. ult.
ibi, si sic dentur ut fiant effici mariti ff. de jur. dot.*

27. Disquisitionis haud inelegantis est, an ubi nulla dos
constituta est, ibi etiam dicantur esse paraphernalia? Quod
negant *Mascard. de probat. concl. 211. n. 4. Berlich. 1. concl. 65. n. 69.
& alii.* Contrarium vero tenet *Menoch. 3. præf. 8. n. 34.* quæ sen-
tentia hæctenus defendi potest, si respectus habeatur non ad
id quod specialiter actum est vel non: sed quod agi poterat
& communiter agi solebat.

28. Illa etiam quæstio hic succedit, an bona ejusmodi,
de quibus nihil omnino convenit, dotis sint? Quod eo casu
affirmandum autumo, ubi maritus ea bona, tanquam dota-
lia sciente & patiente uxore possedit, veluti rem propriam
usurpavit, idque palam præ se tulit: quia patientia pro con-
sensu est *arg. l. qui patitur 18. ff. mandat. l. quemadmodum. 46. ff.
de jure dot.* præsertim actu quodam positivo interveniente
Finckelhaus observ. 118. n. 7. quæ sententia vel maximè locum
habet, ex consuetudine & statutis locorum, quibus dote
non constitutâ bona uxoris loco dotis sunt, fructusque eo-
rum non minus ad maritum pertinent, quam olim fructus
bonorum dotalium. *Christin. in consuetud. seu LL. Mechlin.
tit. 9. art. 3. n. 1.* Dissentire videtur *Gail. 2. observ. 82. n. 3. Menoch.*

lib. 3. pres. 8. Thoming. decis. 30. quorum sententia an & quatenus procedat in conflictu videbimus.

29. Finem ratione paraphernalium marito administranda commissorum eundem fere quem dotis esse arbitror, nimirum ut maritus eo melius matrimonii onera ferre valeat: respectu vero eorum quæ mulier sibi reservat, mulieris cautio & securitas scopus esse potest, maxime eo casu, quo mariti facultates exiguoere sunt, quam ut pro omnibus mulieris bonis tacitæ hypothecæ sufficere queant.

30. Effectus seu jura alia sunt respectu mariti: alia ratione uxoris paraphernalia concernunt.

31. Ratione mariti, primus effectus seu primum jus est administratio, nam si nomina mulier marito dederit, maritus suo quidem nomine nullas habet actiones, sed agit nomine mulieris, ut tamen de rato cavere non cogatur, *sæpe alleg. l. fin. C. de pact. convent.* in quâ administratione pecunias; id est sortes exactas mulieri maritus servare tenetur, vel easdem ejus voluntati distribuit. Inque nominibus exigendis dolum præstat & diligentiam suam. *d. l. fin. C. de pact. convent.*

32. Cum dictum sit maritum sortem exactam mulieri servare, vel ejus voluntati distribuere debere, haud incommode quaeritur, an maritus inops de paraphernalibus uxoris sit alendus? Affirmantium sententiæ album, ut ajunt, calculum adiciamus *arg. l. 1. & auth. præterea C. unde vir. & uxor.* Quam sententiam sequuntur, *Barr. Angel & Alex. in l. si cum dote m. 22 §. 7 vers. fin. autem ff. solut. matrimon. Bertachin. in repert. in verbo maritus Frider. de mandat. lib. 2. cap. 54.* Quæ tamen à *Jacob. de Aret. Bald. & Imola in l. si maritus 43. ff. solut. matrimon.* accipitur secundum necessitatem vivendi, nõ secundum dignitatem mariti, quemadmodum etiam certo casu de dote alii consuevit.

33. Secundum jus, seu alter effectus in lucro fructuum
sepo.

se potissimum ostendit. Quo tamen casu distingui solet.
1. Inter fructus consumptos & extantes. 2. An dem à marito
volente & consentiente uxore: an vero eâ dissentiente con-
sumti sint.

34. Si fructus volente & consentiente uxore consumti
sunt. hoc casu fructus sunt vel industriales, & eos ex senten-
tia *Bartoli & aliorum Doctorum in l. pen. ff. ad L. Falcid.* lucratur
maritus (licet aliqui teste saepe laudato *Menoch. 3. pres. 9. n. 15.*
distinguant an in usus uxoris communesve, an solius mariti
conversi sint, quorum sententiam confirmant verba *l. ult. C.*
de pact. convent. ibi circa se. & uxorem) aut naturales: Et hi rur-
sus aut sunt modici seu parvi, & cedunt lucro mariti *l. si id*
quod 28. §. 1. l. ex annuo 15. l. utrum 57. ff. de donat. int. vir. & uxor.
Aut magni, tunc tenetur maritus restituere, in quantum lo-
cupletior factus est. *l. si stipulata 33. §. 1. ff. d. tit.*

35. Si dissentiente uxore consumti sunt, maritus omnes
fructus restituere tenetur, siue naturales sint, siue industriales
siue civiles *arg. l. 17. C. de donat. int. vir. & uxor.* quia maritus in
vitâ uxore communionem in rebus paraphernis non habet
l. 8. C. de pact. convent. & quando mulier declaravit volunta-
tis suæ non esse, quod fructus sic consumerentur, dicitur re-
vocasse mandatum custodiæ & administrationis.

36. De fructibus extantibus una fere omnium Doct.
sententia est, maritum eos haud consequi, sed esse restituen-
dos vel ipsi mulieri, vel eâ mortuâ ejus heredibus: atque hoc
de fructibus naturalibus & industrialibus intelligit *Bartol. in*
d. l. pen. ff. ad L. Falcid. Idem asserit *Menoch. d. pres. 9. n. 6. lib. 3.*
de fructibus civilibus, id est, usuris *per text. l. 33. §. 1. ff. de donat.*
int. vir. & uxor. l. fin. C. de pact. convent. & rationem, quia cum
dominium horum bonorum sit ipsius mulieris, sic etiam
fructus ex illis provenientes, quos mulier vindicare potest.
l. solum 49. §. 1. ff. de R. V. ubi *Jctus Celsus* ait, meum est, quod
ex re mea superest, cujus vindicandi jus habeo.

B 2

37. Hanc

37. Hanc assertionem de restitutione fructuum ex-
tantium extendit *Baptista Costa in tract. de fact. scient. & ignor.*
cent. 1. dist. 47. ut procedat etiam si statutum, quale Papiæ esse
tradit, disponat, quod post mortem mariti mulier fructus
bonorum paraphernalium petere non possit.

38. Cæterum in dubio ubi non apparet, quod mulier
consenserit vel contradixerit perceptioni & consumptioni
fructuum communem opinionem *d. Menoch. d. loco.* docet
quod omnimodo fructuum etiam naturalium nomine te-
neatur maritus.

39. Verum cum maritus simplex administrator non
sit, & in dubio intelligatur & præsumatur fructus in usus
communes convertisse *arg. l. 23. § 1 ff de donat. int. vir. & uxor.*
in quo fundatur ratio lucri & acquisitionis, & *Justinian. in*
l. fin. C. de pact. convent. simpliciter statuatur, quod maritus cui
permissæ sunt res paraphernales, fructus & usuras circa se &
uxorem expendendo consumere posse, magis est, ut com-
munis illa sententia, quam etiam levibus fundamentis sub-
nixam fatetur *Menoch. d. loc.* juri consentanea non sit. *Bachov.*
2. disp. 7. th. 9. lit. B. licet ab eâ in iudicando recedendum ne-
get *Menochius citato loco.*

40. Cum supra thesi 34. dictum sit, maritum fructus
naturales magnos restituere teneri, in quantum locupletior
factus est, quæstionis est, utrum in dubio quis præsumatur
locupletior factus, an vero eos male in partem consum-
sisse? Locupletiosem quem factum præsumi, sentit *glossa in*
l. utrum. 23. ff de heredit. petit. per l. 25. § quod autem 16. eod. tit.
Dissentiunt plures allegati à *Stephano Lambertino in tractat.*
de contract. eor. quib. vel à jure. com. vel à statut. sine certa solen.
contrah. permissuræ non est gl. p. 95. n. 242. quorum opinionem
cum hac glossæ sententia distinctione conciliat.

41. Et hæc quæ de fructibus paraphernalium pro lara
sunt.

487
sunt jure nostro constituta sunt: Cæterum cum mores & statuta locorum variant, sedulo leges vel consuetudines cujusq; municipii respiciendas esse monet *Gudelinus lib. 1. comment. de jure noviss. c. 9. in fine.*

42. Ac hæc de effectibus seu juribus ratione mariti. Respectu uxoris quidam sunt effectus qui ex paraphernaliū rerum marito permessa administratione nascuntur, quos inter primus & præcipuus est, quod mulieri omnia mariti bona tacitæ hypothecæ obligata sunt *l. ubi adhuc 29. C. de jur. dot. d. l. fin. C. de pact. convent. unde mulier rectius sibi consulit, si bona illa marito tradat, quam si eadem sibi reservet Colleg. Jur. Argent. de jure dot. th. 27 per l. 8. C. de pact. convent.*

43. Hæc tamen quæ de tacita hypotheca tradita sunt, non procedunt, si uxor tacitæ huic hypothecæ renuntiavit, quæ remissio etiam absque juramento facta marito sustinetur. *l. etiam constante 11. l. jubemus 21. C. ad S. Ctum Vellej. l. un. 8. & cum lex 15. C. de rei uxor. act. Carpzov. jurisprud. for. p. 2. consil. 10. def. n. 3.*

44. In controversiam à nonnullis vocari solet, utrum mulier sicut in dote, ita etiam in paraphernis jus prælationis habet? Quod recte negat *consil. Marburg. vol. 1. cons. 24. n. 296. Berlich. 1. concl. 65. n. 63* Diversum tamen in quibusdam Saxoniæ locis, maxime in Prætorio Lipsensi obtinere, atque ita quotidie judicari ex *Colerop. 1. decis. 57. n. 3. & 4. refert Berlich. d. concl. num. 65.* ejusque rei præjudicium affert allegato loco: quod tamen de bonis paraphernalibus adhuc extantibus subaudiendum putat ibid. quam sententiam cum jure communi convenire minime dubium est: cum paraphernalia regulariter maneat in dominio uxoris, ita ut non modo ea viro adimere, & ab eo petere quotiescunque visum fuerit. *d. l. fin. C. de pact. convent. sed ea à quocunque repetere possit. l. 4. l. cum à matre 14. C. de rei vindic.*

45. Secundus effectus in actionibus maxime confitit, quæ mulieri ejusdemque heredibus adversus maritum & ejus heredes dantur. Nam si sic dentur paraphernalia ut fiant mariti: tunc distracto quodocunque matrimonio (quo etiam cõplectimur eum casum quo propter nimiam viri sævitiam matrimonium quoad torum & mensam separatur teste *Hartmanno 2 observ. 10. tit. 35.*) non vindicari ea oportet, sed condici, *d. l. 9. §. ult. ff. de jure dot.* scil. conditione sine causa. Nec uxoriæ rei actione peti possunt, cum non sint dotalia. Quod si hoc actum non sit, sed mulier bona alia præter dotem in mariti aedes ut suas intulerit: tunc maritus vel earum custodiam in se recepit. Et tantum depositi vel mandati eum eo agi poterit. Vel hanc in se non recepit, sed plane mulieris administrationi eas permisit. Tum maritus vel animo amovendis eas retinet, & agitur rerum amotarum: aut ad exhibendum, si non amovere eas sed alia intentione eas retinere conatus sit *d. l. 9. §. ult. ff. de jure dot.* ac hæc de actionibus.

46. Cum autem regulare sit, ut, cui damus actionem, eidem & exceptionem competere dicamus *l. 1. §. is autem. 4. ff. de superficiebus, l. factum 155. §. cui damus ff. de R. I.* tertius effectus mulieris intuitu est quod illa habet jus retentionis, non tantum pro dote, sed etiam pro paraphernis & aliis rebus præter dotem illatis. *Rauchb. p. 1. quest. 33. n. 22. Pet. Mollignat. de jure retent. quest. 20. Berlich. 2. concl. 32. n. 5.*

48. Quæ conclusio ampliatur. 1. ut mulier jure retentionis uti possit, tunc contra actione hypothecaria agentes, quam contra ipsum virum. 2. ut jus retentionis non ipsi uxori solum competat, verum etiam ejus heredibus, *Berlich. di. Et a concl. n. 7. Myns. 6. obs. 82.*

48. Huic quodammodo consecrarium est quod mulieris parapherna ob civile munus vel honorem mariti non tenen-

tenentur aut capi possunt pro aliis mariti debitis *l. 3. C. ne ux. pro mar.* Hinc Dd. tradunt, quando bona mariti fisco addi-
cuntur, uxorem posse iniicere manus in res suas proprias de-
tentas à marito, ne occupentur per fiscum, licet sit contra *l. se
quis in tantam 7. C. unde vi l. extat. 13. ff. quod met. causa.* cujus
rationem reddunt, quia licet possessio in virum sit translata,
tamen propter communionem vitæ, ipsa dicitur possidere,
& in eam continuari possessio *l. adversus 4. C. de crim. expil.
hered. l. 1. ff. de ritu nupt. l. fin. § 3. ff. ad Municipal. Laur. Kirchov. 2.
vol. conf. 32. n. 25.*

49. Inter effectus quoque & illud recenseri potest,
quod parapherna jure nostro ex pacto dotali non cedunt
licet mariti *l. 5. C. de pact. convent.* quia pacto jure nostro non
defertur hereditas, quod jure hodierno moribus nostris se-
cus esse tradit *Myns. 2. obs. 33. n. 10. Gail. 2. obs. 126.* & alii Do-
ctores pene innumeri.

50. Contraria paraphernis sunt alienatio, dilapidatio
seu consumtio.

51. Si in vitâ reluctante uxore à marito res parapher-
nales alienatæ sunt, tunc vel eas à quocunque repetere po-
test *l. 4. l. 14. C. de Rei vindic.* quia res cum suo onere transit
l. si debitor. 12. C. de distr. pronor. & dominus cuilibet possessori
ex quacunque causa possidenti præfertur *l. pen. & ult. ff. de pu-
blic. in rem. act. c. 6. ubi gloss. Ex. de caus. possess. & propriet.* vel si
eas à marito ejusque heredibus repetere malit, tunc in soli-
dum tenentur *l. 17. C. de donat. int. vir. & uxor.* Quo casu ubi
ad æstimationem earum pervenitur, tanti æstimantur, quan-
ti tunc valebant, cum alienatæ sunt, quia per illum alienan-
tem factum est, quo minus res extarent, *l. in summa 65. §. 8. ff.
de condict. indeb. l. si pecuniam 5. §. 1. ff. de condict. causa dat.*

52. Quid si consentiente uxore alienatio rerum pa-
raphernalium facta sit? Ea jure communi, quo prohibitio
re L.

no L. Juliae defundo dotali contra maritorum alienationes
munitæ non sunt. *Wesenb. cons. 25. n. 6. subsistet. l. 2. C. de rebus
alien. non alien. l. 8. C. de pact. convent.* Quod dubium non ha-
bet, si alienatio fiat, aut facta sit in extraneum conjugisque
rem & utilitatem, eo namque casu obligationem & aliena-
tionem valere diserte docet *Auth. si qua mulier. C. ad Sctum
Vellejan. Gail. 2. obs. 89.*

53. Si vero in rem mariti alienatio vergit, nihil acti est,
sed alienatio pro non facta habetur. *Wesenbec. cons. 11. num. 4.
Cothman resp. 94. num. 15. 17. & 18.* In rem autem mariti aliena-
tio spectat, non tantum si ipse rem alienatam sibi acquirat,
sed & si pretium ex re in extraneum alienatâ in suam utilita-
tem quoquo modo convertat *Wesenbec. cit. consil. atq; hæc de
alienatione.*

54. De dilapidatis seu consumptis ita distinguunt. Quod
aut uxore donante res paraphernales erogatæ sunt, quo ca-
su maritum eiusve heredes non aliter quam ex donatione,
id est, in quantum maritus locupletior factus est teneri jure
nostro cautum reperitur *l. 17. C. de donat. int. vir.* Aut res usu
consumptæ sunt communi, cujus consumptionis exemplum
ponit *Alex. lib. 6. cons. 36. n. 18.* in vestibus apparatus & jocali-
bus & maritum ad restitutionem earum non teneri docent
per l. mortis sue 53 § fin ff. de donat. int. vir. d. l. 13. C. eod. Quod
& obtinere tradunt si res paraphernales casu perierunt: Aut
deniq; citra voluntatem mulieris consumptæ sunt, & eum
ut supra thes. 51. demonstravimus in solidum teneri allegata
l. 17. C. de donat. int. vir. aperte ostendit.

55. Hæc quæ de restitutione paraphernalium quæ
mulieris voluntate consumptæ sunt, diximus, jure communi
procedunt. Moribus enim & statutis plurium locorum ista
distinctio, in quantum maritus locupletior factus est non
observatur, verum mulier post mortem mariti, omnia sua
bona

bona repetere potest, siue dotalia ea sint, siue paraphernalia, imo quicquid ipsi pactis dotalibus promissum est, velut de Alsatia inferioris consuetudine restatur *cons. 90. lib. 1. consil. Argentor.* ubi dicitur quod mulier acquisitis, dem theilbaren Gut/quin & portioni statutariae renuntiare, omniaque allata bona, & quae ex pactis dotalibus mulieri competunt, repetere ac petere possit, quod quotidiana inclita hujus Reipublicae praxis satis confirmat.

56. Jure municipali patrio, uxor itidem portioni statutariae renuntiare, omniaque bona sua tam dotalia, quam paraphernalia, eaque quae pactis dotalibus ei promissa sunt petere posse, testis est. *Churpfalk Landrecht part. 4. von Erbschafften ohne Testament tit. 27. §. Imfall &c.* Cujus verba ita se habent, *Imfall das lebend dessen (puta Das verstorbene Ehegemahl zuerben) bedenkens hette/ vnd lieber zu seinem zugebrachten ererbten / oder ihnen sonst gebührenden eigen thumlichen Gütern greiffen / aber mit des verstorbenen nichts zu thun haben wolte / solte ihme ein solches auch frey stehen.*

57. Cum contrariis nonnulli etiam annumerent delictum uxoris, quaestio hic exurgit non levis, utrum maritus lucretur uxoris adulterae bona paraphernalia? Quod à *Berlich. 4. concl. 29. n. 17. Panormit. in c. plerumq. 4. ext. de donat. int. vir. & uxor. Rauchb. part. 1. quest. 47. n. 21. & seqq.* recte negatur. Licet contrarium proponat *gl. in d. c. 4. Felin. in c. pastoralis 14. extr. de judic. Ludov. à Peguera decis. 93. n. 2.* quam opinionem communiter Doctores tanquam grues suum ducem sequi refert *Berlich. citata concl.*

58. Haec negativa procedit, nisi statuto vel consuetudine, ut in Saxonia, receptum sit ut bonorum paraphernalium ususfructus vel administratio spectet ad maritam, tunc enim maritus usumfructum propter adulterium uxoris recte lucrabitur quemadmodum etiam à *Dd. Facultatis Juridicae*

dica in Academia Wittebergensi rediū multumque deli-
beratā anno 1583. marito usumfructum adjudicatum esse te-
statur. *Rauchb. quast. 47. n. 11. 32. 33. part. 1. Berlich. concl. 29. n. 9.*

59. Affinia sunt dos, donatio propter nuptias, dota-
litium, doarium vel doerium. Item, legitima, alimenta: Jure
Saxonico, suppellex, Gerada., donum matutinale vulgo,
Morgengabe.

60. Differunt tamen hæc à paraphernis: & quidem
quoad dotem, in pluribus illius & horum differentia est.
Nam 1. dotalium rerum dominium subtilitate juris transit
in dominium mariti. *l. 30. C. de jure dot. Colleg. Jur. Argent. lib.
23. tit. 3. th. 17.* paraphernalium vero non item, nisi ubi hoc
specialiter actum est. 2. Dotalium fructus indistincte lu-
cratur maritus, secus est in paraphernalibus: 3. Privilegia
doti concessa, non sunt tributa paraphernalibus: 4. Dota-
lia bona regulariter repeti non possunt constante matrimo-
nio, in paraphernalib. aliud ostensum fuit supra reliquas dif-
ferentias quarum in thesibus mentio facta est non addo. Do-
natio propter nuptias itidem differt à paraphernis. Nam illa
à marito aut ejus patre proficiscitur, inque securitatem dotis
datur. Hæc vero mulieris sunt. Illa regulariter ad virum
aut ejus heredes soluto matrimonio revertitur: hæc ad uxo-
rem ejusve heredes. Ista ex pacto dotali lucro uxoris cedere
potest, secus est in paraphernalibus: Quo modo reliqua affi-
nia à paraphernis discernantur, facile liquere potest ex *Coll.
Jur. Argent. lib. 23. tit. 3. th. 40. cum tribus seqq. & aliis locis.* Ac
hæc pro instituti nostri temporisque ratione, de hac mate-
ria, quam in præsentiarum luculentius tractare & libro-
rum penuria & alia negotia non permittebant, dixisse suffi-
ciat, quâ de si Dei vitam & orium suppeditaturus est fortè
plenius & exactius scribendi dabitur occasio,

pro hisce nunc sit:

Deus tibi summe pater, tibi gloria. Christe redemptor.

Et Deus aeternum spiritus alme tibi.

bona repetere potest, siue dotalia ea sint, siue paraphernalia, imo quicquid ipsi pactis dotalibus promissum est, velut de Alsatiæ inferioris consuetudine restatur *cons. 90. lib. 1. consil. Argentor.* ubi dicitur quod mulier acquisitis, dem theilbaren Gut/quin & portioni statutariæ renuntiare, omniaque allata bona, & quæ ex pactis dotalibus mulieri competunt, repetere ac petere possit, quod quotidiana inclitæ hujus Reipublicæ praxis satis confirmat.

56. Jure municipali patrio, uxor itidem portioni statutariæ renuntiare, omniaque bona sua tam dotalia, quam paraphernalia, eaque quæ pactis dotalibus ei promissa sunt petere posse, testis est. *Churpfalk Landrecht part. 4. von Erbschafften ohne Testament tit. 27. §. Imfall &c.* Cujus verba ita se habent, *Imfall das lebend dessen (puta Das verstorbene Ehegemahl zuerben) bedenkens hette/ vnd lieber zu seinem zugebrachten ererbten / oder ihnen sonst gebührenden eigen thumlichen Gütern greiffen / aber mit des verstorbenen nichts zu thun haben wolte / solte ihme ein solches auch frey stehen.*

57. Cum contrariis nonnulli etiam annumerent delictum uxoris, quæstio hic exurgit non levis, utrum maritus lucretur uxoris adulteræ bona paraphernalia? Quod à *Berlich. 4. concl. 29. n. 17. Panormit. in c. plerumq. 4. ext. de donat. int. vir. & uxor. Rauchb. part. 1. quest. 47. n. 21. & seqq.* recte negatur. Licet contrarium proponat *gl. in d. c. 4. Felin. in c. pastoralis 14. extr. de judic. Ludov. à Peguera decis. 93. n. 2.* quam opinionem communiter Doctores tanquam grues suum ducem sequi refert *Berlich. citata concl.*

58. Hæc negativa procedit, nisi statuto vel consuetudine, ut in Saxonia, receptum sit ut bonorum paraphernalium ususfructus vel administratio spectet ad maritam, tunc enim maritus usumfructum propter adulterium uxoris recte lucrabitur quemadmodum etiam à *Dd. Facultatis Juridicæ*

dica in Academia Wittebergensi re diu multumque deli-
berata anno 1583. marito usumfructum adjudicatum esse te-
statur. *Rauchb. quast. 47. n. 11. 32. 33. part. 1. Berlich. concl. 29. n. 9.*

59. Affinia sunt dos, donatio propter nuptias, dota-
litium, doarium vel doerium. Item, legitima, alimenta: Jure
Saxonico, suppellex, Gerada, donum matutinale vulgo,
Morgengabe.

60. Differunt tamen haec à paraphernis: & quidem
quoad dotem, in pluribus illius & horum differentia est.
Nam 1. dotalium rerum dominium subtilitate juris transit
in dominium mariti. *l. 30. C. de jure dot. Colleg. Jur. Argent. lib.
23. tit. 3. th. 17.* paraphernalium vero non item, nisi ubi hoc
specialiter actum est. 2. Dotalium fructus indistincte lu-
cratur maritus, secus est in paraphernalibus: 3. Privilegia
doti concessa, non sunt tributa paraphernalibus: 4. Dota-
lia bona regulariter repeti non possunt constante matrimo-
nio, in paraphernalibus aliud ostensum fuit supra reliquas dif-
ferentias quarum in thesibus mentio facta est non addo. Do-
natio propter nuptias itidem differt à paraphernis. Nam illa
à marito aut ejus patre proficiscitur, inque securitatem dotis
datur. Haec vero mulieris sunt. Illa regulariter ad virum
aut ejus heredes soluto matrimonio revertitur: haec ad uxo-
rem ejusve heredes. Ista ex pacto dotali lucro uxoris cedere
potest, secus est in paraphernalibus: Quo modo reliqua affi-
nia à paraphernis discernantur, facile liquere potest ex *Coll.
Jur. Argent. lib. 23. tit. 3. th. 40. cum tribus seqq. & aliis locis.* Ac
haec pro instituti nostri temporisque ratione, de hac mate-
ria, quam in praesentiarum luculentius tractare & libro-
rum penuria & alia negotia non permittebant, dixisse suffi-
ciat, quâ de si Dei vitam & orium suppeditaturus est fortè
plenius & exactius scribendi dabitur occasio,

pro hisce nunc sit:

Deus tibi summe pater, tibi gloria. Christe redemptor.

Et Deus aeternum spiritus alme tibi.

AUCTARIA

490.

I.

Fœminam propter masculos à feudo semel exclusam, adeo perpetuo exclusam esse ut vasallo ultimo sine heredibus masculis mortuo. filia vel earum heredes masculi ad successionem feudi amplius non admittantur, sed illud tanquam apertum ad dominum revertatur commune Dd. scitum est: contrariam tamen sententiam, quod sc. fratre post acceptum feudum sine liberis mortuo, illud non ad dominum sed sororem pertineat: & ad ipsam transmittatur cum *Mysf. s. Observ. 74. defendam.*

II.

In successione feudali proximitatem respectu ultimi possessoris, non autem respectu primi acquirentis considerandam, eumque qui ultimo defuncto gradu proximior est, ad successionem excluso remotiore admittendum esse, communissima Dd. sententia est, quam etiam verissimam iudico.

III.

Remedium cap. Redintegranda cap. 3. quest. 1. contra successorem singularem possidentem titulo & bona fide, qui à bonæ fidei authore causam habuit non concedi verius est.

IV.

Confessos in iudicio criminum reos jure Canonico ad appellationis beneficium non admittendos esse verius puto.

V.

Civitatibus Imperialibus liberis, non modo consultandi, sed etiam votandi seu suffragandi jus competit.

VI.

Legatus qui in principem ad quem missus est conjuravit jure puniri potest.

VII.

Etiam summo principi, non modo decorum sed etiam necessarium esse arbitramur, privilegia subditis gratis data sine causa non rescindere, licet communis Dd. schola contrarium statuatur.

os. (o) 22

AUCTORIA

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

ans (o) 24



ULB Halle
005 714 745


3



VD17







DISSERTATIO JURIDICA ^{14 481.}
INAUGURALIS
DE ^{1640/4.}
BONIS PARAPHERNALIBUS:

QUAM
DEO OPTIMO MAXIMO PRÆSIDE

Ex Decreto & Autoritate

MAGNIFICI, ET AMPLISSIMI
J^{ctorum} COLLEGI IN CELEBERRIMA ARGENTORATENSIVM
ACADEMIA,

*Pro summis in utroque Jure ritè ac legitime
consequendis honoribus, privilegiis &
immunitatibus Docto-
ralibus*

Publicæ & solenni censuræ submittit

JOH. HIPPOLYTUS EISENMENGER
HEIDELBERGENSIS.

Ad diem 21. Maij horis locog. solitis.



ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPPIL

ANNO M. DC. XL.